22270
III Mag. St. Dr. P

Kuhn Paweł

Soc. Jesu Crac. Coll. Trophaeum Regale potentissimo Poloniae et Suecorum Regi Vladislao IV.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№ 1529.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0004651

TROPHÆVM
REGALE

POTENTISSIMO

POLONIARVM ET SVECORVM

REGI

VLADISLAO IV.

CRACOVIAM

ANTIQVISSIMVM SARMATICI IMPERII DOMICILIVM

SACRO-SOLENNIQ. REGALIS INAVGVRATIONIS DIE

INEVNTI

A Cracouiensi Collegio

SOCIETATIS IESV

D. D.

CRACOVIÆ,
In Officina Typographica Francisci Cæsarij,
Anno Domini M. DC. XXXIII.



JAGELLONICAE
22270 III

DA VIAM, SARMATIA,
CVI NIHIL INVIVM NATVRA SEPOSVIT:
EFFER MOLES SVBLIMES,
ALTVS PER DEPRESSA INGREDITVR CAPITA:
MOSCHOVITICA, OTHOMANNICA, MVSVRMANNICA,
HIS GRADIBVS
AD SOLIVM EVADIT, ET CORONAM;
ID REGIVM EST, POLONVM EST, IAGELLONIVM EST.
VT ABSINT STRATA PVRPVREA,
SVFFICIT BARBARORVM CRVOR
QVONDAM SALVTI PATRIÆ PROPINATVS.
IMMO
ET SANGVINEM HABET, QVI SOLVS NVNC SOLIA TENET.
QVID NATIVA ILLA CORDIVM PVRPVRA?
OMNIVM TRAXISTI GENTIVM CORDA, ET VOTA,
MAGNE WLADISLAE,
VNVS ES, QVEM REGEM ELEGERE SVPERI
VNO ORBIS TERRARVM SVFFRAGIO.
DEERAT HOC TVIS VICTORIIS,
VT ANIMOS VINCERES:

 O TRO-

O TROPHÆVM,

IN CVIVS SPOLIIS NVMERATVR
CAPTIVA SVA SPONTE LIBERTAS.
IS MIHI VERE PRINCEPS,
CVI SVBDITI PENDVNT
AMORIS TRIBVTVM.
IMPERARE MVLTIS CONTIGIT,
VNI TIBI, QVOD SCIAMVS, ITA VOLENTIBVS IMPERARE.
MAIESTATEM ALII QVÆRVNT ET REGNA,
TE REGNVM VLTRO QVAESIVIT, ET MAIESTAS.
I, VICTORVM FORTISme AC FORTVNATISme
MERITAM TRIVMPHIS CORONAM IMPONI PATERE:
QVACVNQVE INCESSERIS
ITER IAM TVA STRAVIT MANVS;
TVA SVNT TROPHÆA
QVAS INTRANTI OBVIAS MOLES VIDES.
QVIDNI VIDEAS?
IN OCVLIS EVROPÆ SVNT
TVO BELLATORIS FERRO
NON COELO ARTIFICIS ELABORATÆ.

NON

NON EGET HEDERIS ALIENIS
QVEM SVÆ ORNANT LAVREÆ:
HINC MOSCHORVM APPENSA NON STERILI TRVNCO ARMA,
INDE TVRCARVM EXVVIÆ INDVVNT ÆQVALEM QVERCVM;
SI CVLMEN POSCES,
ENSEM TVVM IMPONE.
SED ET PACIS ASSERTORI
ADDET, CVM VOLES ÆTHER IPSE ARCVM PACIS,
NAM ET BELLI PRÆSIDIA DABAT, CVM VELLES:
MILITAT OMNIS VIRTVTI MANVS.
VNA HÆC PRINCIPVM FELICITAS EST
SVAM VBIQVE FELICITATEM INVENIRE, AVT FACERE,
NEC MAGNÆ FORTVNÆ INDIGENT MAGNI ANIMI,
IN MANIBVS FORTVNAM FORTES GERVNT.
SINT ALII LVDVS FORTVNÆ, FORTVNA TIBI EST
FORTVNATISSIME VLADISLAE,
MOSCHOVIÆ TELLVREM VIX PEDE PRESSERAS,
CVM OPPRESSISTI;
PENE PRIVS IMPERANTEM SENSIT
QVAM VIDIT PRÆSENTEM:
CORONAM

CORONAM OBTVLIT SVPPLEX,
QVIA NEC POLONVM, NISI SVBIECTIONE, DEBELLARI SCIEBAT,
NEC TE ACCEPTVRVM REGNA, NISI ROGATVM.
OMNINO CARET ÆMVLIS VIRTVS
QVAM HOSTIS ORNAT.
ARMA REBELLIVM CONTRA TE POTVERVNT
QVOD MVCRO STELLATI ORIONIS
CONTRA SOLEM ORIENTEM;
ASTRA HÆC ET CASTRA EXTINGVIS, DVM ASPICIS,
NOBIS ORIENS.
HOSTI TERROR, ET OCCASVS.
SED MOREMVR PAVLISPER ET MIREMVR
MATVRVM IN IMMATVRA ÆTATE MARTEM,
EIVSQVE CRVENTIS ARIS
CORONAM LAVREAM VOLENTES LIBENTESQVE
APPENDAMVS.
TV, REGVM SERENISSIME,
Luctibus hîc absiste, parêtaliq; cupresso
Nuper solutas impedi lauro comas.

COLLIGE,

COLLIGE,
ET COLLIGA
FLORENTIS ÆVI MESSEM
NVNQVAM SENESCENS VIRTVS.
FELICES THOROS COMPONITO,
NISI FASCES MALIS IAGELLONIOS.
GERMINA ÆTERNVM VIRENTIA
DABIT ILLE GELV HYPERBOREO RIGENS
TAVRVS, ET ÆTERNO DAMNATI FRIGORE COLLES.
QVOT GVTTIS MOSCHOVITICVS CRVOR
ARCTOAM RVBEFECIT CANITIEM,
ARCTOAM MOLLIVIT DVRITIEM
BELLANTE VLADISLAO,
TOT PVLLVLARVNT LAVREÆ,
TOT PVRPVRÆ, TOT PALMÆ
VICTORI VLADISLAO.
HINC SERTA NECTE, VIRTVS,
NE TÆNIAM QVÆRAS, CAPE
ÆTERNITATIS
ORBEM.

PÆAN
TRIVMPHALIS
MOSCHORVM DOMITORI.

O Quis alati Boreæ niuoſas
Te locet pennas ſuper, & iugali
Subuehat Coro, medijſque ſiſtat,
Lechia, ſtellis;

Quà Trionali patrius ſuperbit
Boſphorus curru, attonitasque, & vltra
Ire iam ſegnes renuente loro
Increpat Vrſas:

Bella mirari tua bella poſſes:
Vt VLADISLAVS trepidis theatrum
Explicat campis, auidamque ſcenæ
Diſtinet Arcton!

Ecce, monſtrares, rutilæ decorus
Emicat fulgor galeæ, comatam
Ceu leuat frontem Libanitis inter
Cedrus oliuas;

Vt per obſtantes rapitur phalangas
Cernuus? latos vt agit rotato
Limites ferro prior, & cruentum
Depluit imbrem.

Fracta colliſis riget aura contis;

Attremit

Attremit motæ dubius procellæ
Taurus, arrecti vario ſequuntur
Murmure colles.

Sic vbi toruæ maculoſa Lunæ
Hauriens cornu Oceanum ſupino
Fæta nimborum facies recepto
Palluit Auſtro

Hinc & hinc ſurgit fragor, inuolutos
Imbribus frendens ruit æther ignes:
Rugit emoto tremefactus omnis
Cardine mundus:

Noſter haud primos aliter tumultus
Excipit Mauors. niger euibrato
Grandinat plumbo polus, igneoq́ue
Rupta tonitru

Aura comploſas gemit inter haſtas:
En pharetrarum ſeges! en micantum
Concrepant ictus gladiorum, & omnis
Taurica fumat!

Ipſe per triſtes gradiens aceruos
Funerum Victor numerat recentes
Lechicâ palmas frameâ, atque clades
Cladibus auget.

Inde nitratâ malè tectus vmbrâ
Trux MAISTRVGVS taciturna morſu
Labra caſtigat; ſequitur fugacem
Pæna Tyrannum.

Alter

Alter, hinc, noctes petit irrepertas;
Vtque deprênsus stabulis pudorem
Prædo mentitur lupus exprobranti
Furta colono.

Sic inaccessi latebras MOSAISCI
Linquere inuitus dat & huc, & illuc
Mobilem gressum: sed & hinc, & illinc
Verbera terrent.

It catenato numerosa collo
Moscuæ pubes, rubra concolori
Terra iam riuo calet, erubescit
Sanguine Pontus.

Quæ Tibi, quæ mens foret hæc tuenti?
Perge, clamares, animose, perge,
Duplica lauros, stet honora toto
Purpura ferro.

Ara iam stellis Tibi surgit istis:
Huc renidentis quoties sepulchro
Moscuæ fumus veniet, Sabæas
Vincet acerras.

Sume, quam victâ Boreas Coronam
Fert Tibi dextrâ: Diadema maius
Ipsa dum tantis paro Magne VLADIS-
-LAE triumphis.

HÆC

HÆC BELLORVM EXTREMA FVISSENT ALIIS,

SED TIBI RVDIMENTA.

TERRORI OMNIVM NATIONVM

TERROR DESTINABARIS:

ORBE TERRARVM HAVSTO

SVVM COMPLETVRA ORBEM

LVNA TVRCICA VIDEBATVR:

SED PRÆSTO ERAS

QVI COEVNTIA EVROPÆ DISSIDIIS CORNVA,

SI HASTA NON LICERET,

OBIECTV LATERVM IMPEDIRES.

TOTAM IN NOS MOVERAT AVRORAM

TVNC MVNDI PAVOR, NVNC FABVLA OSMANNVS;

EAM TV RVBERE DOCVISTI

SVO VEL PVDORE, VEL SANGVINE.

VIRIS, ARMISQVE PODOLIÆ CAMPOS OBTEXERAT:

VT ESSET, VNDE AGGERES POLONIA HABERET.

VNO IMPETV SARMATIAM A SE STERNENDAM BARBARVS OMINABATVR,

VNO A TE STRATA EST, STRAGIBVS BARBARORVM.

SECVLA TOT ALIOS DEFECISSENT,

QVOT TIBI SATIS ERANT AD VICTORIAM DIES.

DIVTVRNA ALIORVM BELLA SVSPICIMVS,

DE TE DVBITAMVS

VIDERISNE HOSTEM PRIVS, AN VICERIS?

NON PVTARES TE VICISSE

NISI MORTALIVM OPINIONEM VICTORIÆ CELERITATE VICISSES.

REGIA VIRTVS

MVLTARVM IN SESE COMPENDIA GERIT.

TAM ERAT OMNIBVS INCREDIBILE

TANTAM BELLI MOLEM SVSTINERE:

QVAM TIBI FACILE

TANTA DELERE RVINA.

QVIDQVID HVMANAS EXCESSIT VIRES

TVAS NONDVM ASSEQVITVR.

NEC ALIVD HOSTEM SOLATVR

QVAM AB HAC MANV ACCEPTA CLADES.

PVDVISSET ALIVM NON VINCERE,

A VLADISLAO VINCI NON PVDET.

FATALE HOC TVRCIS NOMEN:


TERRVIT AMVRATHEM IN AVO,

PERDIDIT OSMANNVM IN NEPOTE.

CRESCE

CRESCE, SI POTES, LVNA OTHOMANNICA,
SED MENSTRVÆ PAVPERTATIS MEMOR.
LECHICI SOLIS OCCVRSVM, VEL DVM ORITVR, CAVETO:
MINVI LVNA SOLET, QVOTIES ORIENTI VICINA.
ILLVSTRIS ET PLENA VIDEBARIS
QVAMDIV AD HVNC NON ACCESSISTI.
QVANQVAM NEC ACCEDERE AD SOLEM LVNA POTVIT
NISI VT SVBIICERETVR.
ERGO ET HIC REGALI TROPHÆO SVBSTERNERE,
VIDEAT SVBDITAM
(SI VIDERI DELETA POSSVNT)
CVI NIHIL EST, QVOD IAM INVIDEAT.
ASSVRGE, ASSVRGE ÆTERNA MOLES,
SEV ARMIS BARBARORVM VOLES CRESCERE, SEV ACERVIS:

Terribili frontem velabit crine Cometes
OSMANNI quondam fato ſuccenſus; & olli
Tæda ſepulchralis, Tibi, VLADISLAE, futuri
Auſpex Imperij: Victores inde Polonos
Fortè requirenti propiùs narrabit Olympo.


HIC
FVRORIS
OTHOMAN-
NICI LIMES
ÆTERNVS
ESTO. BVSTVM
BARBARIÆ EST,
QVOD CALCAS,
VIATOR. CECIDIT
HAC IN VALLE OSMAN
NVS CLADE SVA MAGIS
QVAM IMPERIO TERRA-
RVM ORBI NOTVS. IBI
DELETÆ AB EVROPÆ DE-
FENSORE VLADISLAO TOTIVS
ASIÆ INGENTES COPIÆ FRV-
STRA COMMVNI SEPVLCHRO
DVCTORIS VMBRAM CELATV-
RÆ. NEC PROCVL ABEST IMPER-
MISTVS PROFANO CINERI HERO-
VM SANGVIS. EHEV! STANISLAVS
ILLE ZOŁKIEVIVS IBI VITAM AMISIT,
VT INVENIRET POLONIA; VICTVRVS,
NISI VINCERE MALVISSET. IBI
CAROLVS CHODKIEVICIVS VI-
CTOREM EFFVDIT SPIRITVM,
VT PATRIÆ INSPIRARET. IBI TOT
FORTES ANIMÆ, TOT STRENVI BELLATO-
RES, QVORVM E VVLNERIBVS PLVS
GLORIÆ, QVAM SANGVINIS MANAVIT.
SECREVIT HOS TANDEM CINERES
MAGNI VLADISLAI DEXTRA: ET INDE
BARBARIÆ MONVMENTVM, HINC PERENNE
SARMATIÆ MVNIMENTVM EXTARE IVSSIT.

TVRCARVM DEBELLATORI

JO TRIVMPHE.

NAm quæ labantis pondera digniùs
Fulcire mundi dextra, vel aurei
Currûs anhelantem Bootæ
Odrysiam cohibere Lunam

Tutasque posſit nomine Lechico
Sepire terras, & Mareoticos
Titanas amoliri, & Orbis
Perpetuos reparare vectes:

Quàm barbarorum cladibus agminum
Enata Virtus? Te rigidis super
Cunis trophæorum reclinem
Plausus ouans, roseoque Mauors

Lactauit imbri. diceris inuido
Mouisse fletum Taygeto, dies
Cùm prima, VLADISLAE, membris
Supposuit clypeum supinis.

Hinc sæpè caris obruit arcubus,
Idemque dextrâ sustulit horridâ
Per signa reptantem, & cruoris
Intrepidum, intrepidumq; ferri,

Ac

Ac dura Mauors per galeam ſacro
Libauit ori baſia,& apprimens
Cordi moleſto, ferreiſque
Pectoribus, gladioq; mulcens:

O creſce, fatur, creſce rebellibus
Terror Gelonis. Te ſibi barbarus
Expectat Othrys, vindicemque
Acciduus trepidat Cythæron.

Obſeſſa dudum Te Lapithis vocant
Pangæa ſæuis. Te iuga ſupplicis
Hæmi, coronatæque ſaxis
Culmina Te Rhodopes adorant.

Haſtâ proteruum Tu mihi vindice
Turbabis Iſtrum, Biſtonio niues
Tabo colorabis, metuque
Iſmarium glaciabis Hebrum.

Attollet olim Cynthia Thracios
Irata vultûs, & Borealibus
Adiuta fulgetris ſubacto
Excidium properabit Orbi.

Sed Tu, reuulſo qualiter euolat
Immugientum carcere nubium
Fatale telum, quod coruſca
Per medios rapit ira nimbos:

Ibis profanæ magna ſuperbiæ
Clades, & omnem turbinibus procul
Vaſtabis Arcton. heu! proterua
Æmoniæ date colla turres.

Iam

Iam calua cæso vertice collibus
Ehem, propinquis fit Rhodope iocus;
Frustraque deplorabis Hæmum,
Caucase, iam capitis minorem.

Ferire metas non humiles solet
Præclara Virtus. Cornua barbaræ
Cauete Lunæ; fulminantem
Odrysio iuuat ire cœlo.

Osmanne, Fatis ludibrium tuis,
Hac, hac peribis dextrâ, Othomannicos
Hæc franget insultus, Polonis
Hæc dabit Inferias sepulchris.

Non vsitato flumine te tuus
Deflebit Hebrus, cum Geticas vehens
Strages pigrescet, decolori
Ipse sibi metuendus æstu.

Io, ter Hæmum, ter Rhodopen sacris
Nutâsse pinnis cerno, ter ignium
Effulgurantum tortuosas
Emicuisse procul sagittas.

Regnabis olim Martia Martij
Proles Parentis: sed priùs horridos
Fuluum reformabis Coronæ
In pretium gladios futuræ.


O COELESTEM VICTOREM!
NAM ET STELLAS IN TRIVMPHO DVCIT;
NISI TITIONIBVS INSIGNIRE MALIS
BVSTVARIVM SCYTHARVM GREGEM
SED STELLÆ SINT
QVARVM ASPECTVS VEL ROMA SEMPER EXHORRVIT
CVM VTRAMQ. SOLIS DOMVM TENERET.
IAM OCCIDERE COGVNTVR, VEL EXTINGVI,
QVIA LVNÆ TVRCICÆ SEQVACES.

COGIT VLADISLAVS:
QVIA SEPTENTRIONIS DOMITOR,
QVIA SOL EST PERDERE NATVS ASTRA MINORA.
NVNQVAM LVXISSET PODOLIA,
NISI ALIQVANDO HIS STELLIS LVXISSET;
NEC OMINOSIVS QVIDQVAM ACCIDIT
QVAM ERRONVM HVIVSMODI CVM LVNA CONIVNCTIO.
SED REPERIT ATLANTEM
QVI HVNC ZODIACVM VERSAT,

Ipſi dominatur Olympo
Confeſtimque iubet natas occumbere ſtellas.

QVIDNI

QVIDNI IMPALLESCANT HÆ STELLÆ
DVM VIDENT SOLEM ORIENTEM?
OLIM PERIISSENT
NISI LVCERENT ALIENO.
COLLVCERE SOLI IAM POSSENT,
SED NOCTEM AMANT.
AN NON STELLÆ,
QVÆ ITA LVNÆ OTHOMANICÆ FAMVLANTVR?
IMO INTEREVNT PARI OCCASV.
DESPICE HÆC ASTRA, VLADISLAE,
IAM SVB PEDIBVS HABES.
EIA, CONVOLVE SIGNA LVNASQ. TVAS,
ERRATICA PLANETARVM COHORS,
ET SI QVID MONSTRORV̄ IBI VEL ARMORV̄ AGNOSCIT MATHESIS,
CVNCTA SVB NOSTRI HERCVLIS PEDES EANT.
DEBET HOC TIBI INFLAMMATVS ORBIS,
VT ROGVS QVOQVE TIBI AB ORBIS VINDICE CONSTRVATVR:
Inde triumphalis consurget in astra Colossus,
Dædala quem tornat Virtus, quem Gloria comit
Astrigeraq; locat Borealem fronte Coronam.


EN SPOLIVM
DE MV̄DI PRÆDONIBVS.
EREXIT HOC MARMOR
DEPRESSA IMMANITAS;
CVM
SCYTHICO FVRORI
CRVORE SCYTHICO
LITARET,
AVREAMQ. LIBERTATEM
FERRO EMERET
EVROPÆ LIBERATOR
VLADISLAVS.
ADORA, HOSPES,
E BARBARORV̄ INTERITV
ORTĀ IMMORTALITATĒ.

TERRORI SCYTHARVM

PLAVSVS TRIVMPHALIS.

QVid? fumantis adhuc Barbariæ rogum
Voluit ſanguineo turbidus alueo?
Arctoane ſatur cæde Boryſthenes
Hauſto conſtitit aggere?

Differtur rapidis præpes Eteſijs,
Mirantique polo figit adoreas
VLADISLAE, Tuas, & vaga Lechico
Terret ſidera claſſico,

Æternumq; globis ſcribit in aureis
Carmen gnara ſtyli Fama adamantini:
Et ſæuæ memorat prælia Thraciæ, &
Sæuæ funera Thraciæ.

Qua cæli rigidus parte ſtat Hercules,
Et clauâ domitæ vulnus adhuc Hydræ
Sublatâ minitans non gladio ſatis
Tutum terret Oriona;

Depingit tetricum Tartariæ caput:
Circum vipereæ colla tremunt comæ,
Scintillant oculi, terrificum cauis
Fulmen ſurgit hiatibus;

At Phœbo genitâ luce ſerenior

Læuâ ſacrilegam Diuûm aliquis iubam
Prenſans implicitâ Sarmatico efferum
Detruncat gladio caput.

Hic, trudit vigiles fons vbi vitrei
Vndas Eridani, ſideribus graue
Attollitque vadum, & ſupplicis ignea
Cœli rura perambulat,

Deleto rubeum ſubſtituit Pado
Iſtrum, quem galeis aſpera barbaris
Armorumque frequens vnda natantium
Stellis donat inermibus:

Sic, inquit, Geticis ille voraginem
Implebat refugam ſæpè cohortibus,
Cum iuſſus Lechicâ ſanguineum manu
Vectigal daret Æquori.

Hic, manantis vbi lactea circuli
Diffundit rutilum ſemita verticem,
Et Cygni, propiùs dum volat, æmulo
Pennas lumine prouocat:

Fulgentem riguo ſanguine tramitem
Captiuique notat littora Phaſidos,
Quæ præter niueis clara iugalibus
Cœlos Gloria peruolet.

Ac tandem gelido Boſphorus eſſedo
Iungi difficiles frænat vbi feras,
Sertumque è nitidis compoſitum ignibus
Orbi deligat aureo:

Dantem

Dantem laurigeris fræna leonibus
Victorem ſpatio ducit eburneo,
Stellatumque ſacro, non ſine Plauſibus,
Sertum vertice collocat.

Tum ſplendente Lyram deripit æthere
Dulces Strymonij relliquias metri,
Et carmen populis narrat, & vrbibus
Carmen narrat amabile:

Victori ter Io ſidera dicite;
Vos rauci lituos promite turbines
Victori ter Io dicite; vos pia
Euri, ſtringite claſſica.

Iam paret Boreas, Moſcua cladibus
Sat iam feſſa ſuis. Thraciæ adhuc pauent
Te Lunæ: inque ſuis vulneribus Scythes
Annos dinumerat Tuos.

Sic Viuas Lechici gloria Nominis
VLADISLAE. Tuas Balthica littora
Narrent Oceano, narret adoreas
Euxino Tanais tuas.

Victori ter Io tympana conſtrepant,
Victori ter Io claſſica conſonent,
Victori ter Io plectra Polonica
Et ter pectora concinant.

TROPHÆVM ALTIVS NON REQVIRAS

MAGNE VLADISLAE,

IAM VIRTVS TVA, QVO PERGAT ALTIVS, NON HABET.

IS PER TRIVMPHOS AD CORONAM:

NVLLI REGVM PRÆCLARIOR ASCENSVS.

REGNVM ALIIS DONVM EST, TIBI MERCES.

MINVS REDDIDIT POLONIA, QVAM DEDISTI.

DEBET HOC TIBI LIBERTAS

QVOD NVLLI DEBEAT;

SERVIRE VNI PARATA

PER QVEM, NE VLLI SERVIRET, EFFECTVM.

FRVSTRA IVGVM MOLIRIS, SCYTHIA,

OLIM SVBIVGATA;

EST CONTRA VINCVLA, NODOSQ. GORDIOS

GLADIVS ALEXANDRI.

NIHIL ITA EXPERS IVGI, VT AQVILA.

POLONIS GRATIOR EST LIBERTAS SINE VITA,

QVAM VITA SINE LIBERTATE

ET TV,

ET TV, LVNA TVRCICA,
TVIS CORNIBVS CAVETO:
NVNQVAM LVNA SOLI ADVERSA EST
QVIN ECLIPSIM PATIATVR.
TVQ. IN FATIS HABES
VT HIC OCCIDAS, QVOTIES ORIRIS.
AT TV, SI AVDES, MOSCHOVIA
VIRES ET VIROS COLLIGE;
MAGNO APPARATV EST OPVS
AD MAGNAM CLADEM.
NE DVBITA
LIBENTES IN TAVRVM VOLANT AQVILÆ.
AN FIDIS EQVITI
CVI NIHIL EST, QVOD DETRAHATVR?
SI TYRO NON HORRVIT
CONTEMNET HYDRAM GRANDIOR HERCVLES.
NON SVPEREST HOSTIS, QVEM METVAS
REGIBVS METVENDE REX,
VNVM HOC TIMES
NE TIMEARE,
ARMIS HOSTEM, CLEMENTIA TVOS VINCIS
ANIMORVM VICTOR ET ARMORVM.

INGREDERE

INGREDERE SOSPES ET FELIX
AVITE DIVORVM SANGVIS,
TVÆ PATRIÆ VOTVM, ET SPES,
POLONÆ LIBERTATIS AVGVSTAL.
INGREDERE FORTIVM CLEMENTISSIME,
CLEMENTIVM FORTISSIME,
TOTA LECHICI NOMINIS MAIESTAS.
INGREDERE VITA CIVIVM, ET SALVS,
CONSILIVM REIPVB. SENATVS ORACVLVM,
MENS POLONIÆ.
TECVM TVA FELICITAS PARI MANV SCEPTRA CAPIAT,
TECVM TVA VIRTVS CORONETVR.
IMPLE FACTIS FASTOS ÆTERNITATIS.
ADDANT TIBI ANNOS SVPERI
DE NOSTRIS ANNIS.
ADDANT TOT SALVTES,
QVOT NOBIS ERIPI AB HOSTE VETVISTI.
DENIQVE
REGNET TVVS SANGVIS
DVM REGES HABEBIT POLONIA.
ANNVITE FAVENTES SVPERI.

DEDICATIO.

QUæ Tu olim in omnium gentium oculis, ea nos aliquando in Tuis Trophæa tua collocamus, REGVM POST NATOS REGES FORTISSIME. Pauciores hîc literas, quàm Decora Tua numerabis. neq; enim aut tam celer est Stylus noster, quam tuus Gladius, quo paucis annis tot seculorum historiam Orbi dedisti; aut libelli angustiæ concludere potuerunt eam Gloriam, quæ vix cœlo capi posse videatur. Aspicies tamen vultu, quo omnia serenas, religiosarum mentium deuotam Tuæ Maiestati obseruantiam, & aperto hoc libello, vt quondam aperto malogranato Cyrus vt plura verba, quàm ille acinos, ita plures Zopyros, quàm ille optabat, reperies. Trahit vndequaq; mortalium voluntates Diui Parentis Tui superstes in Filio Clementia, & ipse Thronus Tuus Humanitatis luce magis, quàm purpuræ vel auri fulgore conspicuus. Et nobis quidem vehementer optandum erat, vt iustum venerationis tributum Coronæ Tuæ Regiæ in primis debitoribus persolueremus; sed communi gratulantis Patriæ Regnorumq; omnium voce factum est, vt vltimi SACRÆ MAIESTATIS cultores laudatoresq; audiremur: si quid vltimum esse potest in ijs laudibus, quibus nulla finem allatura est ætas. Stabat eminùs Apollo noster, neq; confertam tot populorum plaudentium coronam perrumpere poterat, hoc vno desiderium solatus; quod vel Oratoribus opus non esset, vbi gesta Principum perorarent: vel si esset, ij iam præmissi viderentur, quos ipse verbis quondam suis ad Regum Regnorumq; obsequia instruxisset. Ita demùm accedimus, Regaliq; Tuo ingressui Trophæum verbis, & linguâ (nam re & manu vnus Tu potes) excitamus, non vltimum arbitrati, quod in primis Regum Fastis descripsit Æternitas. quanquam nec vltimi esse recusabimus, si Tu, REX OPT. MAX. inter Tuorum vltimos adnumeraueris.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

Biblioteka Jagiellońska
stdr0023611